

www.e-rara.ch

Disputatio philosophica de sede animae rationalis

Zwinger, Johannes

Basileae, 1664

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-66484>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

de

SEDE ANIMÆ
RATIONALIS.

Quam,

DEO clementer annuente,

SVB PRÆSIDIO

JOHANNIS ZVINGERI,

Lib. Art. Mag. & Linguae Græcæ in Academia
Basiliensi Professoris Ordinarii,*publico Eruditorum Examine submittit*HIERONYMVS HARDEVS,
Basiliensis,*Ad d. 29 Mens. Novembr. Ann. M DCLXIV.*

Loco Horisque consuetis.

Kirchenbibliothek
Basel.BASILEÆ, Typis JOHAN. JACOBI DECKERI,
Academiae Typographi.

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

FIELD STATION
WASHINGTON, D. C.

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

FIELD STATION
WASHINGTON, D. C.

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES
FIELD STATION
WASHINGTON, D. C.

THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

FIELD STATION
WASHINGTON, D. C.



THE NATIONAL ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES
FIELD STATION
WASHINGTON, D. C.



Σω Θεω.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

de

S E D E A N I M A E
R A T I O N A L I S.



Rduam, multisque difficultatibus implicitam, esse hanc de *Sede animæ rationalis* Doctrinam, inter plurima alia docet tot Virorum doctorum in ejus decisione ab omni tempore dissensus. Nam

I. CHRYSOSTOMVS, Tom. II. Homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, p. n. 399. a, difficultatibus nonnullis motus,

maluit ἐπεὶ quàm certam hac de quæstione fovere sententiam. Si enim dicatur, eam esse totam in toto corpore, & totam in singulis partibus, quomodo, abscissâ vel amputatâ aliquâ parte corporis, ipsa maneat *inextensa* & *indivisibilis*, ait, se comprehendere non posse; sed nec dici posse, addit, eam residere in certâ aliquâ parte corporis, cum hâc ratione non constet, quomodo reliquæ partes corporis queant dici animatæ. Quæ ipsius sententia clarior erit, si verba ipsius propria apponantur. Ea autem, loc. cit. ita se habent. Iam quemadmodum insit animus in nostro corpore ignoramus. Quod enim dixeris, extendit se se unâ cum dimensione corporis, totaq; infusa per artus mens agit at molem. At hoc penitus ratione caret. Cum id corporis proprium sit, atq; ita evenire videamus, ut ple-runq; & manibus præscissis & pedibus, integer ille permaneat, nihilo ipse

truncatus, corpore diminuto & manco. Sed non tota toto in corpore est, sed parte se colligit certâ & residet: ergo reliquas partes reddi inanimas necesse est. Sed dici ne id quidem potest, verum animum esse quidem in nostro corpore novimus, sed quemadmodum sit ignoramus. Et quidem etiam hanc rationem sciendi propterea Deus immortalis à nobis secluse-
rat, ut largâ quâdam argumenti copiâ nostra opprimeret, ora, & mentem fragilem detineret, ac deorsum moveret, constaretq; minimè res majores, quàm vires possunt humana attingere, scrutari & curiosè exquirere.

II. ATHANASIUS, in Tract. de Definitionibus, Oper. Tom. IV. p. n. 34. asserit, Animam rationalem sedem suam habere in Corde, in posteriori parte Capitis, quæ cava vocatur, & in basilicis venis, atq; in his tribus partibus residentem, vitalem suam potentiam in totum corpus distribuere. Noluit autem vel in toto corpore, omnibusque ipsius partibus, vel in certa tantum aliqua parte eam collocare, ob easdem à Chrysostomo propositas rationes. Ita enim l. c. inter alia fatetur: Quod si aliquando de anima dubitet aliquis, ab ipso quare, num anima Hominis in toto corpore sit, vel in uno aliquo loco. Et si in toto corpore respondeat animam esse, interroga, quomodo abscissâ manu vel pede non abscindatur anima, & adhuc vivat Homo, ac nondum moriatur? Quod si dicat, in parte aliqua animam esse, rursus quare, quoniam pacto Hominis aliæ partes esse queant absq; anima, & quomodo membrum inanimatum habere possit Homo? item quomodo possibile sit, vivere sine anima? Nam quicquid animam non habet, mortuum est. Quare nescis, quid dicas. Ego verò tibi dicam, quæ in parte, quomodo, & ubi requiescat anima. In tribus locis corporis suam habet sedem. Et sicut solis radius unum aliquem locum occupat, & in domum penetrat, illuminat verò totam domum: sic anima quoq; in tribus istis partibus corporis residens, totam domum corporis vivificat. Habet autem anima sedem suam in corde, in posteriori parte capitis, quæ cava vocatur, & in basilicis venis. In istis igitur tribus partibus habitat anima. Quare, si cor vulneretur, aut ex basilica vena multum sanguinis effluat, aut si caput cedatur, vel gladio secetur, statim à corpore recedit anima, & mortuum corpus relinquitur. In istis porrò tribus partibus anima sedem habens, in totum corpus vitalem suam potentiam distribuit.

III. Nonnulli, ut videre est apud Gregorium Nyssenum, Lib. de Hom. Opif. Cap. 12. p. n. 455. & Lactantium, Lib. 1. de Opif. Dei, Cap. 16. p. n. 508. & 509. Animam rationalem in Capite, velut in arce,

arce, constituerunt, qui tamen iterum in varias abierunt sententias. Nam *Xenocrates*, ut docent *Conimbricenses*, in *Lib. 2. Arist. de Anima, Cap. 1. Quæst. 7. Art. 2. p. n. 120.* eam collocavit in vertice: *Hippocrates*, *Plato* in *Timæo, Oper. Tom. III. p. n. 90.* *David Derodon*, *Phys. Contract. Part. 2. p. 238.* *Johannes Schulerus*, *Exerc. Philos. Lib. 4. quæst. 7. p. 250.* & alii, in *Cerebro*: *Herophilus* in *Cerebri Concavo* sive *basi*. *Straton* in *parte inferiori frontis*: *Erasistratus* deniq; in *sinu cerebri*. Plura qui desiderat, adeat *Conimbricenses*, *l. c.* & *Franciscum Piccolomineum*, *Lib. de sede Anim. Cap. 3. p. n. 1090.*

IV. Alii *Animæ rationalis* sedem alias statuerunt esse corporis partes. Nam *Democritus* & *Epicurus*, teste *Petro Gassendo*, in *Animadvers. in Lib. 10. Laërt. de Physiologia Epicuri, Tom. 1. p. n. 527* eam collocarunt in toto pectore, cui opinioni quoque additum fuisse *Parmenidem*, *Piccolomineus l. c.* testatur. Alii eam posuerunt in *Corde*, ut *Stoici*, teste *Justo Lipsio, Lib. 3. Physiol. Stoic. Disert. 18. p. n. 184. & seqq.* quibus subscripsit *Simon Portius, Lib. de Mente humana cap. 7. p. n. 41. & seqq.* Alii statuerunt, eam esse in arteria cordis concava, ut *Diogenes Philo Judæus*, in *Lib. quodd deterius insidiari soleat potiori p. n. 112.* dubitanter & disjunctivè hoc de negotio differit. Ait enim, eam vel in membranula cerebri, vel in corde esse sitam, quando inter alia ita scribit: *Et quomodo credibile videtur, tam exiguum mentem Humanam, membranulâ cerebri aut corde, haud amplius spatii, inclusam, tantam Cali Mundiq; magnitudinem capere, nisi illius Divinæ feliciq; animæ portiuncula esset indivisibilis.*

V. Alii denique statuerunt, eam esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte. Quam sententiam propugnarunt è Patribus *Augustinus*, *Tom. I. Lib. de immortal. Anim. cap. 16. p. n. 579. a. Tom. II. Epist. 28. p. 99. a. & Tom. VI. Lib. contra Epist. Manichæi, quam vocant fundamenti, Cap. 16. p. n. 126. c.* *Ambrosius*, *Tom. IV. Lib. de dignitate Humana conditionis, Cap. 2. p. n. 89.* quibus adde Authorem *Libri de Spiritu & Anima*, qui extat *Tom. III. inter opera Augustini, p. n. 878. a.* *E. Nostri, Julius Cæsar Scaliger*, *Exerc. 307. sect. 29. p. n. 416. & c.* *Hieronymus Zanchius*, *de Oper. Dei Part. 3. Lib. 2. cap. 6. Thest. 3. p. n. 631. & c.* *Rodolphus Goclenius*, in *Concil. Philosoph. p. n. 471.* *Gisbertus Voetius, Select. Diss.*

Theol. Tom. 1. p. 767. &c. Johannes Maccovius, Lib. 2. Metaph. cap. 2. p. n. 200. b. & 201. a. Conradus Asiacus, Phys. Mosaic. p. n. 336. & seqq. Arnoldus Verhel, Tract. de Anima Rationali, Quæst. 79. p. 157. E. Lutheranis, Balthasar Meisnerus, Phil. Sobr. Part. 1. Sect. 3. Quæst. 2. p. n. 604. & seqq. Jacobus Martinus, Lib. 2. Exerc. Metaph. Exerc. 2. Theor. 8. p. n. 561. & Lib. 3. disp. Miscellan. p. n. 595. Casparus Bartholinus, Lib. 8. Phys. cap. 2. p. n. 703. & seqq. Thomas Sagittarius, Exerc. Phys. 19. in Notis ad Thesin 4. Conradus Danhaüerus, Colleg. Psychol. Disp. 1. contra 4. p. n. 20. & seqq. Johannes Sperling, Lib. 1. Anthropol. cap. 1. Quæst. 3. p. n. 77. & seqq. Johannes Zeifoldus, Lib. de Anim. sect. 1. punct. 3. p. 43. &c. E Scholasticis denique Thomas Aquinas, Summ. Theol. Part. 1. Quæst. 76. Art. 8. p. n. 242, 243. item, Quæst. Disputat. de Anim. Art. 10. Concl. unic. p. n. 178. &c. & Lib. 2. contra Gentes Cap. 72. p. n. 126. b. &c. Antoninus, Repertor. totius Summ. Part. 1. Tit. 2. cap. 1. S. 2. Alphonsus, Archiepiscopus Toletanus, Lib. 2. de Anim. Quæst. 2. Art. 3. p. n. 30. Johannes Paulus Pernumia, Lib. 4. de Anima, cap. 2. p. n. 85. b. & seqq. Petrus Duodus, Lib. 3. de Anim. cap. 13. p. n. 74. &c. Conimbricenses, loco suprâ citat. Jacobus Zabarella, Lib. de Partit. Anim. cap. 5. p. 291. &c. Franciscus Toletus, in Lib. 2. de Anim. cap. 2. Text. 26. Quæst. 4. p. n. 187. & seqq. Philippus Faber Faventinus, Phil. Natural. Scorsist. Theor. 72. p. n. 560. &c. Antonius Ruvio, Lib. 2. de Anim. Tract. de modo, quo Anima informat corpus, Quæst. 4. p. n. 104. b. & seqq. Eustachius à S. Paulo, Phys. Part. 3. Tract. 1. Disp. 1. Quæst. 2. p. n. 168. Johannes à Sancto Thoma, de proprietat. animæ in communi, Quæst. 2. Art. 1. p. n. 42. &c.

Priusquam autem ad Sententiæ nostræ declarationem accedamus, nonnulla nobis sunt prælibanda, quæ facient ad maiorem totius Tractationis illustrationem.

I. Primò igitur notandum, quando de Sede Animæ rationalis disputamus, per *Sedem strictè* nos non intelligere *situm*, qui exigit distinctionem seu divisionem partium in loco, solisque competit corporibus, sed, ut Scholastici nuncupant, *Ubietatem* quæ non exigit distinctionem partium, sed tantum præsentiam Entis alicujus in loco, competitque spiritibus, qualis quoque est Anima rationalis.

II. Quando Philosophi quærunt, *An anima rationalis sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte?* ipsos per Totum non intelligere

gere totum positivum, quod ē partibus est conflatum: cū enim Anima rationalis sit Spiritus, adedōque, ipso Aristotele teste, *Lib. 1. de Anima, Text. 95. ἀμέριστόν ἐστι*, indivisibile quid, omnis compositionis Physicæ est expers, sed totum negativum, quod partes negat, & cum perfectō coincidit, quo sensu Aristoteles, *Lib. 3. Phys. cap. 6. Text. 64. αἶτ: Τὸ ὅλον καὶ τέλειον ἢ τὸ αὐτὸ πᾶμπαν, ἢ σώμα γυὺς τῇ φύσει ἐστὶ*: Id est: Totum & perfectum, aut idem sunt omnino, aut naturam habent affinem.

III. Animam rationalem dupliciter alicubi posse dici totam, vel secundum essentiam suam, vel secundū potentias sive facultates.

Quibus præmissis, sequentibus Assertionibus sententiam nostram declaramus.

A. Anima rationalis secundum suam essentiam est in omnibus & singulis corporis partibus. Quod ita probamus:

I. Quodcūque anima rationalis actuat atque informat, in eo quoq; est. Atqui anima rationalis non tantum unam & alteram partem, sed omnes corporis partes actuat & informat. Ergo non tantum in una vel altera, sed in omnibus est corporis partibus & Major propositio probatur, 1. Quia forma non potest informare id, in quo non est, cū informet per se ipsam, se materiæ tribuendo. 2. quia quod forma, & per consequens, anima rationalis, actuat atque informat, cum eo constituit unum per se. Cum eo autem unum per se constituere non potest, in quo non est, cuique essentialiter non est unita. Quod si ergo anima rationalis omnes corporis partes actuat, informat, & cum illis unum per se constituit, in omnibus quoque ratione suæ Essentiæ necesse est existere. β. Minor propositio patet 1. Ex definitione Animæ, traditā ab Aristotele, *Lib. 2. de Anim. Cap. 2. Text. 6. ubi eam vocat ἐντελέχειαν*, non cerebri vel cordis, vel alterius alicujus corporis partis, sed *ἑσώματ' ὁ φυσικόν*, corporis Physici, & quidem talis, ὅαν ἢ ὁργανικόν, quod sit organicum. Ubi benè notandum, Aristotelem non dicere, animam esse actum hujus vel illius Organi corporis, sed corporis organici, ut indiget, id, cujus anima est actus, habere varia organa, quorum Organorum anima debeat esse actus, & per consequens, in illis esse informativus, & per suam essentiam. 2. Quia si anima rationalis non

lis non esset actus omnium partium, esset forma *accidentalis*, & non *substantialis*. Ratio: quia hæc est differentia inter formam *substantialem*, & formam *accidentalem*, quod illa non solum sit perfectio totius, sed & singularum partium, è quibus totum constat, hæc autem sit quidem forma totius, sed non cujuslibet partis, quod Thomas illustrat exemplo formæ domus, quæ quidem est forma totius, sed non singularum partium. 3. Quia non solum totum, sed & partes ab anima suam sortiuntur specificationem, quapropter, animâ recedente, nec totum nec partes remanent ejusdem speciei, nam manus v. g. abscissa, non est nisi æquivocè manus propter ablatam formam, quamvis eandem *externam* formam seu figuram retineat: sicut & manus picta eandem habet formam *externam*.

II. Quodcunque unitur corpori, tanquam forma *substantialis* suæ materiæ, id necessariò in omnibus corporis partibus existit. Atqui anima *rationalis* unitur corpori, tanquam forma suæ materiæ. Ergo anima *rationalis* in omnibus corporis partibus existit. Major propositio patet è natura formæ, quæ materiæ non mediante aliquâ parte, sed *immediatè* unitur, i. e. non ita, ut in certa aliqua parte resideat, sed in omnibus secundum suam essentiam existat, comprobante hoc exemplo formarum *materialium*. Hinc vulgò, ut videre est apud Adrianum Heereboordum, in *Notis in lib. 1. Synops. Logic. Burgersdic. cap. 14. quæst. 11. p. n. 100. & 101.* inter partes *quantitativas* seu *integrales*, & *essenciales* hoc statuitur discrimen, quod hæc se mutuo pervadant, & loco ac situ non differant, illæ autem se mutuo non pervadant, sed loco & situ differant ac discernantur. Minor facile probatur è definitione Formæ *substantialis*, quæ est *actus primus substantialis*, unum per se cum materia constituens. Atqui anima *rationalis* talis actus est, utpote qui cum Corpore Humano unum per se, nempe Hominem, constituit.

III. Ubique sunt operationes animæ *rationalis*, ibi quoque est ipsa anima *rationalis*. Atqui non solum in una vel altera parte, sed in omnibus corporis partibus, sunt operationes Animæ *rationalis*. Ergo anima *rationalis* non solum in una vel altera parte, sed in omnibus corporis est partibus. I. Major propositio probatur α. Quia animam *rationalem*, cum sit Spiritus, non possu-

possumus cognoscere à priori, sed à posteriori, ac propterea ex ipsius operationibus firmiter ejus colligimus præsentiam, idque vestigiis Adversariorum insistentes. Quemadmodum enim ipsi ex operationibus animæ rationalis in corpore ejus evincunt præsentiam, quia anima rationalis in corpore non existens, in eo quoque operationes suas exercere nequeat: ita vicissim nos ex operationibus animæ rationalis in omnibus partibus corporis, ejus existentiam in iis invictè concludere possumus, ob eandem causam, quia anima rationalis, in singulis corporis partibus non existens, in iis quoque operari non potest. *β.* Quia anima rationalis non operatur, nisi ubi est, tùm quia etiam à corpore separata in eo vitales posset exercere operationes, quod, ipforum Adversariorum judicio, est falsum, tùm quia est Forma. Forma autem non operatur, nisi ubi est. 2. Minor probatione non eget, cùm experientia hoc testetur, sensusq; abundantissimè confirment. Sapit enim in cerebro, irascitur in corde, concupiscit in hepate, cernit in oculis, audit in auribus, olfacit in naribus, gustat in palato & lingua, sentitque in omnibus partibus corporis, quæ nervaceum aliquid habent.

IV. Si anima rationalis ratione suæ essentiae non esset in omnibus & singulis corporis partibus, sequeretur, non omnes & singulas corporis partes esse animatas. Atqui posterius est falsum. Ergo & prius. I. *Sumpti consequentia* probatur, quia animatum denominatur ab anima, sibi essentialiter unitâ. In quo ergo non est anima, id animatum dici atque appellari non potest. 2. *Assumptum* probatur: Quia omnes corporis partes vivunt, ut ex earum patet nutritione. Nulla autem substantia corporea vivit, nisi quia habet animam, quæ est Vitæ fons atque principium. Hinc Aristoteles, *Lib. 2. de An. Cap. 2. Text. 24.* animam definit, quod sit id, *ὃ ζῶμεν καὶ αἰσθάνομεθα, καὶ διανοῶμεθα πᾶσι*, quo vivimus & sentimus & intelligimus primum.

Nec est I. quod dicatur, reliquas partes posse dici animatas ob animam vegetativam & sensitivam, quibus informentur, cùm eas, tanquã cerebri humani fragmenta, non ita pridem publicâ Disputatione solidissimis & invictis rationibus explosas dederimus, quò proin benevolum Lectorem, brevitatis causâ, remittimus.

Nec est II. quod dicatur, reliquas corporis partes posse dici ani-

matas, & per consequens, viventes, non quòd anima in iis secundum suam *essentiam* resideat, sed quòd in iis sit per *facultates* atque *potentias*, à se transfusas. Nam 1. Vivens *formaliter* per animam constituitur, & non per virtutem vel facultatem, & per consequens, nulla virtus vel facultas sufficere potest ad constituendam partem viventem, nisi ipsa anima se ipsam communicet, & suam substantiam exhibeat, eò quod causa *formalis* non possit alio modo effectum suum *formalem* alicui tribuere, quàm per intimam præsentiā & unionem *physicā*, quā se illi communicat. Informatio enim, ut ait Danhauerus, *Disp. 1. Psychol. Controv. 4. p. n. 21.* est talis actus, qui suāmet entitate, intimā quādam *περιχώρησις* & immeatione, pervadit suam materiā, & sic per prius differt à *causa efficiente*, per posterius ab *actu assistente*. 2. Cum Scaligero, *Exerc. 76. Sect. 1. p. n. 117.* ita contra Adversarios ratiocinamur: Si anima tantum est in corde vel cerebro quoad *essentiam*, in reliquis autem per *facultates*, à se transfusas, facultates illæ vel sunt *accidentia*, id est, qualitates, *realiter* ab Anima differentes, vel sunt *substantia*. Ast utrum horum dicatur, multum profectò Adversariorum causam non juvabit. Non *primum*. Ratio 1. Quia sequeretur, reliquas partes non esse viventes. Cum enim corpus vivens, quā vivens, sit substantia, ab accidente in esse viventis constitui nequit, cum nihil agat ultra suas vires, & accidens substantiam producere non possit, ipsis Adversariis minimè inficiantibus. Ratio 2. Quia hoc pacto, ut rectè monet Zeifoldus, *Lib. de Anim. Sect. 1. Punct. 3. p. 45, 46.* facultates fluunt ab essentia animæ, & in ea, ut proprio subiecto, existunt. Ubi verò sunt facultates animæ, ibi quoque est ipsa anima, siquidem facultates animæ, tanquam qualitates, extra eam, tanquam subiectum, esse, aut transmigrare de subiecto in subiectum non possunt, ut iterum haud gravatim ipsi Adversarii fatentur. Ratio 3. Quia si facultates illæ, per quas transfusas anima *rationalis* in reliquis partibus corporis existit, sint accidentia, sequitur, corpus humanum esse ens per accidens. Ratio *Rationis*: Quia Accidens cum eo, cuius est accidens, ens per se constituere nequit, sed unum per accidens. Partes ergo illæ corporis humani erunt quid unum per accidens, quod

quod est absurdum. Non secundum. Ratio: quia, si facultates illæ sunt Substantiæ, vel sunt ipsa animæ essentia, vel ab essentia animæ realiter distinguuntur. Ast neutrum iterum dici potest. Non primum. Ratio Rationis: Quia sequeretur, ipsam animam quoad essentiam in omnibus partibus existere, quod Adversariis est $\pi\epsilon\omega\tau\epsilon\nu$ $\psi\epsilon\upsilon\delta$ Θ . Non secundum. Ratio Rationis: quia sequeretur, in Corpore humano plures esse formas ultimas. Si quidem Cor pro forma ultima haberet animam rationalem, reliquæ verò partes alias haberent formas ultimas. Ast hoc Adversariorum, & ipsorum *Tripsychistarum*, iudicio est falsissimum. Quodcunque enim corpus non habet formam ultimam communem, id nec unam specificam habet essentiam, &, ex consequenti, est ens per accidens.

V. Si anima rationalis esset secundum essentiam tantum vel in Cerebro, vel in Corde, sequeretur vel cerebrum, vel cor esse hominem. Ast posterius est falsum. Ergo & prius. Sumpti consequentia probatur, quia Homo est compositum *essentiale* ex corpore & anima, ipsi *substantialiter* unita. Quod si ergo anima rationalis reliquis partibus corporis *substantialiter* non est unita, sed tantum vel cerebro vel cordi, sequitur Cerebrum vel Cor esse Hominem. Hinc Aristoteles, *Lib. 1. de Anim. cap. 5. Text. 87.* ait, non dicere animal id, cui insit anima, absurdum esse.

VI. Idem denique docet Experientia, quod vel exinde patet, quia tota sentit cujuslibet particulæ corporalis passionem. Si enim vel ense, vel alio aliquo instrumento, pes alicui lædatur, mox oculi eò se intendunt, è vestigio admovet se manus, os clamat, & cætera itidem membra afficiuntur, cujus certè rei nulla alia ratio dari potest, quàm, quia anima, quæ in pede læso dolet, eadem in aliis etiam membris dolorem sentit, quod certè fieri non posset, nisi anima ibi præsens esset. Quis enim nuncius à pede mox ad oculos eodem momento curret, & nunciabit, quid pes perpeffus fuerit. Necesse ergo est, eam ratione *essentiæ* in omnibus partibus existere, cum tota simul sentiat in singulis.

Nec obstat 1. S. Scripturam cogitationem, intelligentiam, sapientiam, desipientiam tribuere Cordi, ut *Genes. 6. 5. 1. Reg. 3. 12. Psal. 14. 1. Math. 9. 4. & 15. 19. & c.* ac proinde Animæ do-

micilium id à S. Scriptura constitui. Nam α . Non negamus, Animam residere in Corde; at Cor unicum esse ejus domicilium, hoc est, quod pernegamus. Non enim Sacra Scriptura dicit, solum Cor esse sedem animæ. β . Dicimus, per Cor intelligendam esse animam rationalem, quo ipso fons & principium bonarum vel malarum cogitationum &c. indigitatur. Idè autem Cor nominant Sacre Literæ, cum de Summis ac præcipuis in Homine Viribus & actionibus sermo est, quia id, omnium Hominum consensu, est præcipua & nobilissima pars, & principium ac basis Vitalis facultatis, absque qua reliquarum virium nulla potest consistere & perdurare, & anima primario in Corde est, velut in radice vel fonte, unde postea per universum corpus diffunditur. Nec abs re, quod monet Flavius Illyricus, *Clav. Script. Part. 1. p. n. 230.* idè S. Scripturam notitias, intelligentiam & electionem Cordi tribuere, quod in practicis notitiis & electionibus plurimum dominantur affectus & morus cordis. Agere autem sacras literas non de speculativis, sed de practicis notitiis, quas Deus velit vel maxime vivas, ardentes ac operosas esse: alioqui eas docere, illas speculativas notitias etiam tantum hypocrisin quandam, & labialem cultum aut honorem, &c.

Nec γ . alicujus momenti est, quod nonnulli jactant, Animam rationalem, quia sit Spiritus, & propterea indivisibilis, necessario quoque debere esse in Ubi indivisibili, cum indivisibile in Ubi divisibili esse nequeat, ut doceat exemplum puncti, quod, quia sit indivisibile, in Ubi divisibili esse non possit. Nam 1. Negamus, cum celeberrimo D. Marefio, *Colleg. Theolog. Loc. 5. §. 32. p. n. 103.* ullum Spiritum posse esse in puncto indivisibili, tum quia in eo saltem ad extra operari nequit, tum quia Ubietas, sive Locatio, sine spatio, quod in puncto indivisibili & mathematico nullum est, aut esse aut concipi non potest. 2. Dicimus cum Suarezio, in *Comment. in 1. Part. Thom. Part. 2. Lib. 4. cap. 11.* sequelam non procedere, quia Anima rationalis sit indivisibilis, idcirco quoque debere esse in Ubi indivisibili, cum indivisibile in Ubi divisibili esse nequeat. Probatio ipsius peccat Elencho parium. Ratio: quia in Anima rationali non est à nobis concipienda indivisibilitas ad modum indivisibilitatis puncti. Nam punctum est indivisibile, tanquam positionem in continuo habens, i.e. tanquam

quam terminus ejus vel *ultimus*, vel *intermedius*, & ita est aliquid quantitatis, carens ejus *divisibilitate*. Angelus verò est *indivisibilis* extra genus quantitatis, ex altiori & *substantiali* modo, ideòque ad *indivisibile* Vbi non limitatur, quod, quemadmodum Exemplum *Dei* satis superque confirmat, ita idem de Spiritibus creatis, qualis est *Anima rationalis*, est sentiendum.

II. *Anima rationalis*, sicuti secundum *essentiam tota est in toto Corpore*, ita quoque secundum eandem tota est in singulis partibus. Ratio 1. quia Spiritus, ubicunque est, ibi totus est. Atqui *Anima rationalis* est Spiritus. Ergo ubicunque est, ibi tota est. Cùm autem, ut hactenus probatum, quoad *essentiam* sit in omnibus & singulis corporis partibus, sequitur, & in omnibus ac singulis totam esse. Major propositio probatur: quia quod non est *extensum*, id, ubicunque est, totum est. Atqui Spiritus non est *extensus*. Ergo. 1. Major patet, quia, quod non est *extensum*, illud non habet partem extra partem. Totum ergo est, ubicunque est. 2. Minor probatur in specie de *Anima rationali*: Quia omnis forma, quæ ad *Materiam* *extensa* est, *divisâ* materiâ simul dividitur. Sicut enim quantitatem *continuum*, ita & *discretam* formæ suæ affert materia. Si igitur *anima rationalis* esset ad *extensionem* corporis *extensa*, ac propterea haberet partes *continuas*, propter *continua* corporis quantitatem, utique *diviso* corpore divideretur, & *abscisso* quodam membro *abscinderetur* quædam animæ portio, unde mox sequeretur, animam *rationalem* esse *mortalem*. Ut, si cuiquam amputeretur manus, in qua non tota anima sed pars animæ inesse dicitur, illa pars aut erit simul amputata, aut ad materiam proximè antecedentē retracta. At, teste Meisnero, Part. 1. Phil. Sobr. sect. 3. Quæst. 2. p. n. 606. neutrum dici potest. Non primum: Ratio: Quia illa pars amputata aut erit *mortalis* aut *immortalis*. At utrum horum dicatur, erit falsum. Prius: quia hac ratione tota anima esset *mortalis*, cùm partes & totum heic ejusdem sint naturæ & rationis. Posterius, quia ex una *anima rationali immortalis* duæ, imò innumerabiles fierent *immortales*, secundum innumeras, quæ fieri possunt, divisiones. Non secundum, utpote, quod pugnat cum principiis Adversariorum, statuentium, tùm formam, ad certam materiæ partem *extensam*, illi perpetuò adstrictam manere, tùm impossibile esse, ut

una pars materiæ à duabus distinctis formæ partibus informetur. Hoc autem fieret, si pars animæ, quæ erat in manu, recurreret ad brachium. Quomodo enim istæ partes unum fierent? Quomodo utraque extensa esset ad materiam? Et si pars animæ in brachio totum animat brachium, quod erit officium animæ, quæ antea erat in manu? An otiosa manebit & superflua?

Inquies: Si anima rationalis sit tota in aliqua parte, v. g. in manu, vel pede &c. sequitur, eam non posse esse totam in alia parte. Quod enim est totum in uno, id non potest esse totum in alio.

Resp. Falsa est sumpti consequentia. Nec simpliciter vera illius probatio. Quod enim est totum in uno totaliter & exclusivè ad alia, id non potest esse in alio. Ast hæc ratione anima rationalis non est tota in qualibet corporis parte, utpote, quæ sic est tota in una parte, ut sit quoque tota in alia, quod non involvere contradictionem, simili demonstrari potest. Quemadmodum enim quælibet auris Discipulorum capax est totius vocis præceptoris: tota enim vox præceptoris ad singulorum Auditorum aures venit, ita quodlibet membrum Corporis humani capax est totius animæ, quia hæc tota est in quolibet membro. At ut tu discipulus. v. g. ita capax es totius vocis Magistri, ut eadem vox sit etiam extra aurem tuam, & ab aliis quoque discipulis percipiat: sic singula membra sunt totius animæ ita capacia, ut etiam anima sit extra membrum hoc vel illud, ut rectè docet Goclenius, in *Adversar. p. n. 72.* Rectè prin Danhaeuerus, *Colleg. Psychol. Diss. 1. Contr. 4. p. n. 24.* ait: Quod alicubi totum est, ejus nihil est extra in Vbi circumscriptivo, id verò fallit in definitivo & repletivo, quomodo Deus ita totus hic est, ut & totus sit alibi. Hinc D. Frantz. *Orac. 125.* præsentiam spiritualem, & in specie Divinā, comparat cum Catoptris, & speculis, quibus res disita tota representantur, & cum Sole, qui imaginem suam totam in mille partibus confracti speculi, vel aqua spargit.

III. Quod si verò Anima consideretur secundum suas facultates atque potentias, dicimus, diverso respectu eam esse & non esse totam in qualibet corporis parte. Facultates enim animæ dupliciter considerari possunt, vel κατὰ τὸ εἶναι καὶ ἔχειν, i. e. quoad essentiam & originaliter, vel κατὰ τὸ ἐνεργεῖν, i. e. quoad operationem & subjectivè, h. e. ut in subiecto immediato.

*Priori modo omnes facultates animæ sunt in qualibet corporis parte, siue statuatur realiter idem cum animæ essentia, siue accidentia, ab ea realiter distincta. Si idem, veræ erunt duæ priores nostræ assertiones, quibus adstruximus & probavimus, eam secundum essentiam esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte. Vbi enim erit animæ essentia, ibi & illæ erunt. Essentia enim non est separata ab eo cuius est essentia. Sin verò judicentur esse accidentia, realiter ab animæ essentia distincta, erunt vel propria vel communia. Si propria, idem sequetur. Hæc enim ratione cum animæ essentiâ, à qua sunt inseparabiles, per totum corpus diffunduntur. Vbi enim est subiectum, ibi omnes sunt ejus proprietates, quæ cum eo recipiuntur. Ita vis visiva est etiam secundum *ἰσχύαν* in pedibus, utpote in quibus est anima, quam facultas illa ita insequitur, ut reciperet pes, ut subiectum, facultatem visivam, si haberet oculum; Nec aliud poterit inferri, si statuatur accidentia communia. Ubi enim est animæ tota essentia, ibi quoque omnia sunt ejus accidentia, quorum esse est inesse in suo subiecto.*

Posteriori modo non omnes facultates animæ in qualibet corporis sunt parte, ut experientia hoc satis superque testatur. Non enim anima olfacit linguâ, gustat naribus, videt auribus, audit oculis. Isto enim posteriori sensu facultates sunt certis organis corporeis alligatæ, per quæ solæ & non alia, suas exerunt functiones. Sic quia facultas videndi est alligata oculo, homo non nisi per oculum videre potest, & quia facultas audiendi est alligata auribus, nec nisi per aures idem Homo potest audire: Sic quoque de reliquis.

KAI TATTA, MEN ΔΗ TATTA.

